qvod neſcio an in barbaras illas gentes iſtis ſeculis qvadret. Accedit inſulæ Drogii, & vaſtiſſimarum terrarum, inde in auſtrum africumqve projectarum, qvæ alterius orbis ſpeciem repræſentent, evulgata deſcriptio; qvæ opinionem ſuggerunt, eos in Americæ ſeptentrionalis partes fuiſſe delatos. Eos autem, qvi poſteriori tempore extrema ſeptentrionalis Americæ detexerunt, perſvaſos eandem illam Eſtotilandiam, qvam illi decantant, aſſecutos fuiſſe, in nomine, ſitu licet diverſo, acqvieviſſe: certè lemborum fabrica, barbaris iſtis gentibus (Skrælingis) familiaris, hoc ipſo ſcripto ad lineam expreſſa, iſto ſeculo tam remotis gentibus forte prorſus ignota, etiam mihi perſvaderet, iſtos fratres in illum delatos oceanum, partem aliqvam Americæ attigiſſe,

ſi